

DE QUALITATE RESURGENTIUM.

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ-QUARTÆ SYNOPSIS.

*Quantumcunque senes, & quantumcunque tenelli,
Quidam obeant, vultus omnibus æquus erit.*

Sic incipit: *Solent autem nonnulli.*

Sic terminat: *In resurrectione revocabuntur.*

1. **C**onnectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ differit Magister de veritate resurrectionis conditionibusque ad ipsam spectantibus; sed in præsentî determinat de conditionibus, sive resurgentium qualitatibus: ergo rectè hæc distinctio consonat superiori.

2. Consequentia probatur: Conditiones resurgentium, sive eorum qualitates necessariò præsupponunt resurrectionis veritatem, ejusque ad eam conditiones spectantes, ut ex se liquet: ergo dùm Magister in hac distinctioe determinat de resurgentium conditionibus, sive qualitatibus; postquàm in superiori egit immediatè de veritate resurrectionis, ejusque ad eam spectantibus conditionibus, reverà debito ac concinno processit ordine; proindeque aptè inter se cohærent.

3. Dividitur præfens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ sedulò inquirat Magister, in quâ ætate resurrecturi sint homines. In secundâ verò declarat, qualiter omnes resurgere debeant cum perfectâ omnium membrorum integritate. In tertiâ autem, & ultimâ statuit, an demones corporali igne crucientur.

4. PRO PRIMÆ igitur partis ostensione, hæc prima proponitur thesis: *Omnes resurgent in ætate perfectâ, in qua Christus Dominus resurrexit; sed non in eadem Christi statura; sed in ea, quam viventes habuerunt, vel habituri essent, si ad perfectam, non impediti, pervenissent ætatem.* Quam expressis Magistri verbis contentis in litterâ, quoad geminam deducimus partem.

5. Prima conclusionis pars, nempe, quòd omnes resurgent in perfectâ, sive juvenili ætate, in quâ Christus Dominus resurrexit, probatur

tur primò à Magistro ex Apostolo ad Ephes. cap. 4. dicente: *Donec occurrant omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Sed tunc occurrent omnes in virum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi, dùm resurgent in perfectâ, juvenilique ætate, in quâ Christus Dominus resurrexit: igitur omnes homines in judicio resurgent in perfectâ ætate, in quâ Christus Dominus morte devictâ surrexit.

6. Secundò ex M. P. Augustino lib. 22. de Civit. Dei, cap. 14. id ipsum his præmunit verbis Magister: *Ætas verò erit illa, ad quam pervenit Christus, scilicet juvenilis, ut circa triginta annos. Triginta enim duorum annorum, & trium mensium erat ætas Christi, in qua mortuus est, & resurrexit.* Sed omnes resurgent in juvenili ætate, sive in eâ, quæ trigessimum ferè tertium absolvit annum: ergo quia omnes resurgent in ætate perfectâ, in quâ Christus Dominus mortuus est, & resurrexit.

7. Sed oppones primò: Gemina à Philosophis huc usque invenitur materialis quantitas, quippè temporis, & molis, sive extensionis; sed qui habuerunt diversam quantitatem molis, sive extensionis, in diversâ resurgent, ut dicemus in secundâ hujus thesî parte: ergo qui diversam habuerunt ætatem, in diversâ temporis resurgent ætate; consequenterque non omnes in ætate perfectâ, in quâ Christus Dominus resurrexit, resurgent.

8. Respondetur negando Consequentiam; sive potiùs instantiæ scopum expendendo. Resurgentium ætas dupliciter contemplari valet. Primò, per comparisonem ad principium durationis, quemadmodum nos modò ætatem nostram computamus à limine nostri esse; & sic in resurgentibus non est supputanda ætas, quia omnem transferunt ætatem, & extra talem vigent statum. Secundò contemplatur ætas secundum dispositionem, & valetudinem corporis, & sic accipitur juvenilis ætas. Omnes enim tales, ac tanti resurgent in corpore, quales fuissent in ætate juvenili: Undè, cum ætas hic non exprimat durationem, sed corporis dispositionem, instantia nequiquàm premit.

9. Oppones secundò: Impossibile est, quòd præteritum non fuerit præteritum: ergo & quòd non habeat sexaginta annos, qui sexagenarius est; sed qui sexaginta computat annos, impossibile est, quòd solum trigessimum secundum, aut tertium recenseat annum: ergo si omnes in perfectâ, & juvenili ætate, in quâ Christus Dominus mortuus est, & resurrexit, resurgere tenentur, impossibile erit senibus in hac resurgere ætate.

10. Respondetur cum Magistro negando Consequentiam. Nam hoc,

hoc, & alia similia argumenta gravi æquivocatione laborant, nihilque efficaciam continent, ut in superioris instantiæ expendimus solutione; quia cum ætas, prout hic usurpatur, non exprimat durationem temporis, sed corporis dispositionem, ætatemque perfectam, & juvenilem, omnes resurgent in corpore, tam senes, quam juniores, quales fuissent, aut fuerunt in juvenili perfectaque ætate, quin attendatur, an ad eam pervenerint ætatem juniores, sive illius metas transgressi fuerint senes.

11. Secundam asserti partem, nempe, quod non sint omnes resuscitandi in eadem Christi staturâ, sed in eâ, quam viventes habuerunt, vel habituri essent, si ad perfectam juvenilemque, non impediti, pervenissent ætatem, etiam probat primò Magister ex Apostoli supra inculcatâ autoritate: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Sed non dixit in mensuram corporis, vel staturæ Christi, sed solum ætatis: ergo licet omnes in juvenili perfectaque ætate, in quâ Christus Dominus resurrexit, teneantur resurgere; non tamen in eadem Christi staturâ.

12. Secundò, ex Augustino etiam supra allegato lib. 22. de Civit. Dei, cap. 14. assumptum validè firmat Magister: *Non ait, loquitur de Apostolo, in mensuram corporis, vel staturæ, sed ætatis; quia unusquisque suam recipiet mensuram corporis, quam vel habuit in juventute, etiamsi senex obiit; vel fuerat habiturus, si antè est defunctus.* Sed ex eò quod unusquisque ex illo quasi infinito resurgentium numero suam recipiat mensuram corporis, quam vel habuit in juventute, etiamsi senex obiit; vel fuerat habiturus, si antè est defunctus, non omnes sunt surrecturi in eadem Christi Domini staturâ corporis: ergo.

13. Tertio similiter probat ratione ex quadam congruentiâ adductâ in ipsius textus litterâ: Si omnes in juvenili, sive Christi Domini staturâ corporis resurgerent, plures partes corporis justorum perirent, præsertim eorum, qui corporis proceritate Christum Dominum superarunt, habueruntque figuram giganteam; sed hoc expressè contradicit Lucæ cap. 12. dicenti: *Capillus de capite vestro non peribit.* Ergo non omnes resurgent in eadem Christi Domini staturâ corporis, sed in eâ, quam viventes habuerunt, vel habituri essent attingentes ætatem Christi.

14. Sed oppones: Æquè dissonat, aut consonat rationi, quod omnes resurgant in juvenili perfectaque ætate, in quâ Christus Dominus mortuus est, & resurrexit, quam quod resurgant in eadem Christi Domini staturâ corporis; sed quod omnes resurgant in juvenili perfectaque ætate, in quâ Christus Dominus mortuus est, & resurrexit, non est dissonum, imò rationi consonum: ergo & quod in eadem Christi

Do-

Domini staturâ corporis resurgant omnes, erit omninò rationi consentaneum.

15. Respondetur negando Majorem, & Consequentiam. Nam, quod omnes resurgant in juvenili perfectaque ætate, in quâ Christus Dominus resurrexit, plura sacræ paginæ, Sanctorumque Patrum expressa testimonia comprobant, necnon rationes & congruentiæ aliæ extant, ut in asserti præsidium supra allegavimus; proindeque quod hoc sit consonum, & oppositum longè rationi dissonum, nullus ambigere valet: At, quod omnes in staturâ corporis Christi Domini debeant resurgere, est à veritate procul; cum nec Scriptura sacra, nec Patres, nec ratio, aut congruentia aliqua huic faveant decisioni, ut lustranti constabit.

16. Verùm, cum attentâ mente, altâque meditatione super illa Apostoli verba ad Ephes. cap. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, &c.* Magistrum volutari videatur; necessarium duximus, ipsius judicium hic obiter referare. Hæc etenim super his sunt expressa Magistri verba: *Virum autem posuit, non ut distingueret sexum, sed ut significaret perfectionem virum, quam tunc habebunt.* Ergo dum Divus Paulus profert: *Donec occurramus in virum perfectum, &c.* non distinguit sexum, sed virum perfectionem exprimit, quorum juvenilem perfectamque ætatem amulari tenentur omnes, in eaque resurgere.

17. Hæc ergò subtili profundaque meditatione resurat Magister recordem insanamque aliquorum sententiam asserentium, sexum fœmineum in die judicii resurrecturum non fore, ob Apostoli præfatam autoritatem. Hujus erroris non solum meminit Augustinus de Civit. Dei, lib. 22. cap. 17. verùm & toto refellit conamine; quia in non semel Divi Pauli inculcato testimonio, vir non dicitur à sexu, sed à virtute, non corporis, sed mentis; in quo sensu mulier vir facta est, juxta illud Psalm. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum;* quod etiam de muliere passim à Doctoribus exponitur: ergo Apostolus non negat mulierum resurrectionem. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

18. PRO SECUNDÆ verò partis clarâ indagine, hæc alia statuitur thesis: *Tametsi omnes homines resurgere debeant cum omni membrorum integritate; præsertim tamen electi absque ullo vitio, & fœditate resurgent.* Hanc ex Magistro deducimus conclusionem, sub apposita itidem limitatione, eò quod hæcenus satis non sit exploratum, an reprobi sint resurrecturi cum deformitatibus, quas prius habuerunt? Quod ergo omnes cum omnimodâ membrorum integritate sint surre-

ctu-

sturi, nulli est dabitur; cum hoc ad integritatem iudicii finalis multum conferat; nec non & illud Lucae 22. & Matthaei 10. *Capitulum de capite vestro non peribet: Omnes numerati sunt.* Ubi in resurgentibus plena membrorum integritas revera convincitur.

19. Probat jam primo conclusionem Magister ex Augustino in Enchir. cap. 90. dicente: *Indecorum quippe aliquid ibi non erit, sed quid-qui d'ibi futurum est, hoc, decebit; quia nec futurum est, si non decebit.* Sed dum indecorum aliquid in resurgentium corporibus non apprehenditur, cum omnia ibi venusta ac concinna sint praedicanla, proculdubio resurgent omnes, praesertimque electi, absque ullo vicio, & foeditate: ergo.

20. Secundo, ex eodem Augustino ibidem cap. 91. iterum his suade verbis: *Resurgent ergo Sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate; in quibus tanta facilitas, quam a felicitas erit.* Sed omnia haec munia, secundum Augustinum, corporibus Sanctorum congruunt: ergo Sanctorum corpora sic resurgent sine ullo vitio, & deformitate; sicut sine corruptione ulla, onere, & difficultate; sed haec omnia cum corporum deformitatibus non cohaerent: ergo electorum corpora cum deformitatibus non resurgent.

21. Tertio, etiam sic ratione probati poterat assumptum: Solum resurget in electis, quod est de veritate naturae; sed corporis deformitates non sunt de veritate naturae: ergo electorum corpora cum deformitatibus non resurgent. Minor probatur: Generans dum juxta naturam generat, semper sine errore naturae generare pertentat; sed dum sine errore naturae generans semper generare pertentat, deformitates corporis non sunt de veritate naturae: ergo si in electis solum resurget, quod est de veritate naturae; & corporum deformitates non congrunt ipsis secundum veritatem naturae, electorum corpora cum vitio, & foeditate non resurgent.

22. Quarto sic confirmari valet: Veritas est rectitudo sola mente perceptibilis: ergo quod de rectitudine naturae non arbitratur, revera de veritate naturae non est; sed corporis deformitates non arbitrantur de rectitudine naturae, ut ex se liquet: ergo nec de veritate naturae sunt; sed in electis in die novissimo solum resurget, quod est de veritate naturae: igitur cum deformitatibus nullatenus resurgent electorum corpora.

23. Quinto: Electorum corpora resurgent fulgida & splendida sicut sol; cum omnibus quippe dotibus gloriosis ipsum stipantibus; sed

do-

dots gloriae corporis cum ipsius deformitatibus non bene consonant: igitur electorum corpora non resurgent cum deformitatibus, quae prius in ipsis fuerunt. Minor probatur: Dotes gloriae corporis sunt impassibilitas, claritas, agilitas, & penetrabilitas, quae omnem excogitabilem venustatem undique conferunt corpori; sed cum tanta corporis venustate, & eximia pulchritudine non bene cohaerent deformitates: igitur dotes gloriae corporis cum ipsius deformitatibus non bene consonant; ac proinde electorum corpora resurgent absque omni prorsus vitio, & foeditate.

24. Sed oppones: Cicatrices, quae in Martyribus sunt inductae a tormentorum immanis ictibus, & violentia, manent in gloria in signum heroici meriti, & triumphi, ut de miris stupendisque Christi Domini stigmatibus passim referunt clarissimi Doctores: ergo suppari jure deformitates, quae errore, defectuque naturae sunt inductae, & in quibus anima meruit, debent apparere in corporibus electorum in signum meriti, & decoris.

25. Respondetur cum Seraphico Doctore negando Consequentiam. Quia Martyrum cicatrices, aut non resurgent in eorum corporibus, aut si resurgent, ita conferent ad decorem, & gloriam animae, quod non detrahent pulchritudini corporis, eod quod talia signa reddant corpora magis venusta, & decora. Unde, cum cicatrices possint turpitudine, & foeditate carere, non autem deformitates, quae multiplici dedecore, maculisque passim scatent, ideo non sic deformitates corporibus electorum aptari possunt, ac cicatrices.

26. Quod ergo ad reprobos attinet, an sint resurrecturi cum deformitatibus, quas hic in corporibus gestarunt, anceps est apud Magistrum in littera resolutio. Nam Augustinus in Enchir. cap. 92. rem indeterminatam relinquit. En ejus expressa verba: *Utrum vero ipsi, loquantur de reprobis, cum vitiis, & deformitatibus suorum corporum resurgant, quaecumque in eis gestarunt, inquirendo laborare quid opus est? Non enim fatigare nos debet incerta eorum hebetudo, vel pulchritudo, quorum erit certa, & sempiterna damnatio.* Ergo cum Augustinus non definiat, an reprobi sint resurrecturi cum deformitatibus, quas hic in corporibus gestarunt, nec fas nobis erit id definire.

27. Caterum, si parum in Augustini auctoritate adducta in Enchir. cap. 92. inmoremur, quam mutilam in textu littera allegavit Magister, revera sufficiens ex ipso fundamentum possemus apprehendere, ut reprobi sint resurrecturi cum omnibus deformitatibus, quas hic gestarunt in corpore. Hunc ergo discursum non dissonum Augusti-

Tom. V,

Y

no,

no, nec Magistro, una aut alia probatione suadere tentabimus.

28. Primò, tanquam solidum fundamentum, Augustini jacimus verba in ipso Enchir. cap. 92. dicentis: *Nulla debet esse quæstio de pulchritudine, ubi est certitudo de damnatione.* Sed de reproborum damnatione sumus certi: ergo & quòd nullà pulchritudine honestabuntur; sed si resurgerent absque ullo naivo, & fœditate, aliquà honestarentur pulchritudine, ut ex se claret: igitur ex Augustino resurgent reprobi cum deformitatibus, quas hîc gestarunt in corpore.

29. Secundò: Idèò electorum corpora resurgent absque ullo prorsus vitio, & fœditate, quia, resurgent cum impassibilitate, agilitate, aliisque gloriæ corporis dotibus; sed reproborum corpora resurgent cum passibilitate, tarditate, aliisque attributis oppositis gloriæ corporis dotibus, eò quòd sint passibilia, gravia, &c. ergo reproborum corpora haud dubiè cum deformitatibus, & fœditatibus, quas hîc in corporibus habuerunt, deturpata resurgent.

30. Tertio: A reproborum animabus vitia, fœditates, & quamplures aliæ deformitates non sunt eliminandæ; aliter jam non inter miseræ, sed beatas annumerarentur reproborum animæ: ergo nec ab eorum corporibus maculæ, & deformitates aliæ erunt abigendæ. Consequentia probatur: Quia deformitas culpæ est causa deformitatis pœnæ, idèò animæ afficiuntur deformitate pœnæ, quia contrahunt deformitatem culpæ; sed reproborum corpora unà cum animabus contrahunt deformitatem culpæ: ergo debent affici deformitate pœnæ; sed inter innumeras alias recensentur vitia, fœditates, aliæque deformitatum genera: ergo omnigenâ labe fœdata proculdubiò resurgent reproborum corpora.

31. Sed oppones primò: Ex errore, defectuque virtutis producentis, deformitates deprehendimus in corporibus; sed damnatorum resurgentium corpora sola divina Omnipotentia reficiet: ergo cum hæc non possit errare, aut deficere; nec poterunt damnatorum corpora cum deformitatibus resurgere.

32. Respondetur, Majorem esse veram de operationibus naturæ, quæ semper intendit effectus meliores, rectosque producere; at non semel deformes, mutilosque errore, & defectu virtutis producit; Omnipotentia verò divina, quæ sola resurgentium corpora reficit, non secundum quòd melius, & perfectius potest, operatur; sed secundum quòd meritis ejus melius congruit; idèòque damnatorum corpora cum omnibus deformitatibus, quas hîc in ipsis gestarunt, resurgent, quia eorum misero, infaustoque statui magis hoc congruit.

Oppo-

33. Oppones secundò ex illo Theologico satisque iterato prologo: Optimi est optima producere; nam si artifex est optimus, opera artificialia producet optima; sed Christus Dominus est optimus, supremusque resurgentium corporum artifex: ergo tenetur ea resuscitare cum omni venustate, & decore; aliter non forent optima, nec ipse Christus Dominus artifex optimus.

34. Respondetur negando Consequentiam. Nam præfatum theologicum dictum præsertim habet locum in rebus benè, & laudabiliter ordinatis in quo sensu non incongruè verificatur in argumento adducto. Quia corpora deformia optimè ordinantur in inferno, sicut venusta in Cælo; sicque optimi est optima ordinare, sive juxta debitum, & aptum producere ordinem.

35. Ulteriùs hîc subdit Magister, quòd damnati patientur in corporibus pœnam ignis; non tamen ab eo consumuntur, quia tormentum ignis erit perpetuum. Hanc resolutionem variis ac subtilibus Augustini lib. 21. de Civit. Dei, à cap. 1. exemplaribus poterat exornare Magister; sed unicum duntaxat modò suppeditat in textus litteræ, scilicet: *Sicut animus, cujus presentia corpus vivit, & dolorem pati potest, mori autem non potest, &c.* Ergo sicut anima, cujus presentia corpus vivit, dolorem patitur, & ab ipso non consumitur; sic damnati patientur in corporibus pœnam ignis, & ab eo non conterentur.

36. Ex aliis exemplaribus Augustini allegatis à Magistro in eodem lib. 21. de Civit. D., cap. 2. prætermisissis tamen ab ipso, assumptum amplius instauramus. Sit primum Salamandræ simile ab Augustino adductum: *Videmus enim ipsam in igne vivere, & non deficere; sed mirabilius apparet, animal in igne conservari sine afflictione, quam affligi sine consumptione:* ergo si intra limitatæ naturæ possibilitatem potest Salamandra in igne vivere, & non deficere, melius & aptius intra infinitam, illimitatamque virtutem divinam poterunt damnatorum corpora igne perpetuo torqueti, & nunquam ab eo depasci.

37. Sit aliud evidentissimum, notumque omnibus exemplar ab eodem Augustino ibidem productum: Vesuvius mons ille famigeratus Campaniæ apud amplissimum Parthenopis Regnum; necnon & Ætna etiam Siciliæ decantatus collis, ab antiquissimis temporibus perpetuò fumum, & flammam evomunt; sed hæcenus integri perseverant; ergo quia non omne quod uritur, reipsa consumitur: ergo quanvis damnatorum corpora concrementur, poterunt ab igne non absumi.

38. Tandem ex his efficax deprehenditur ratio in discursu subtili, cum hoc reverà proveniat ex parte agentis, & ex parte patientis.

Y 2